

CASUS XXIX. Petrus per mensem prope vixit in turpi commercio cum Maria uxore Joannis, qui tamen & ipse intra hoc tempus eam de more cognovit. Maria concepit, & paulo ante lapsum novem mensium ab inchoato cum Petro turpi commercio in lucem edidit filiam. Semper Maria persuasum habuit, Petri esse hanc filiam, idque ipsi Petro insinuavit. Cum autem interea Maria morte sublata fuisset, quaerit Petrus, quid sibi agendum intuitu hujus prolis.

3. Probabile videtur, prolem hanc Petri esse; & hinc jure concludi potest, eum teneri ad resarcienda damna, quae hujus puellae ortus liberis Joannis attulit aut imposturum allaturus est. Quod si Petrus dubitet, num vere infantis hujus parens sit, commensuratum saltem pro ratione dubitationis damnum resarcire tenetur. *Fromageau.*

CASUS XXX. Beneficiatus quidam fuit accusatus coram officiali suo: duae foeminae conjugatae deponunt, eum secum ipsis rem habuisse, & una addit insuper, sibi porrectum fuisse ab eo liquorem ad enecandum foetum, quo se gravidam ajebat, quo tamen usa non fuisset; aliunde quoque non apparuit, eam fuisse impraegnatam. Foemina haec prostitutarum de numero est, & ut talis communiter nota; altera quoque pessimae famae est. Ex aliis quidem depositionibus posset colligi, Beneficiatum utrumque hoc crimen commississe, sed nihil positivi asertur; nihilominus fuit producta scheda, in qua modus talem potionem praeparandi propria Beneficiati manu scriptus erat. Potestne ex foeminarum harum depositione reus adulterii & convictus declarari, licet antea nunquam de tali crimine accusatus fuerit? Num probato adulterio privatus est ipso facto suo beneficio? Num ex scheda producta una cum depositione harum foeminarum habetur sufficiens probatio in ordine ad eum spoliandum suo beneficio? An contumacia beneficiati praebet jus ipsum eo privandi?

3. Probationes non sunt sufficientes, ut suo beneficio privetur, supposito etiam, quod adulterium sit ex eo genere criminum, quibus privatio beneficii ipso facto incurritur. Cum autem non sit de hoc genere, non incurrit hanc privationem, etsi convinceretur de adulterio. Scheda praefata non importat privationem beneficii, sed solum novae inquisitioni occasio esse potest. Nec contumacia de se privationem beneficii infert. Consulendae tamen sunt constitutiones contra contumaces latae. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Syrus comperit, uxorem suam a Sempronio per violentiam aut fraudem fuisse corruptam: hinc adigit Sempronium ad solvendam summam pecuniae pro compensatione injuriae ex adulterio illatae.

3. Sempronius non tenetur in conscientia ad solvendam hanc summam; quia injuria Syro illata non est pretio aut pecunia aestimabilis: ex tali enim obligatione videri posset, quod maritus de uxore sua negotiationem instituat. *Lessius, Lugo, Girib. de Rest. tr. 2. dub. 8. C. B.*

NOTA. Circa hoc consulenda sunt jura locorum. Prudens maritus certe non existimaretur venalem exponere conjugem suam, si ejusdem corruptorem pro injuria illata ad compensationem pecuniariam damnandum curaret; maxime si ejusmodi summam, qua uti posset in suum commodum, erogaret in levamen pauperum.

CASUS XXXII. Titius per sententiam Judicis fecit divortium cum uxore sua adultera. Cum autem & ipse in idem crimen, occultum tamen, prolapsus fuisset, quaerit, num in conscientia teneatur reconciliationem inire cum conjugee sua.

3. In foro interno obligandus est ad id; quia in casu, ubi crimen ex parte utriusque est aequale, plena datur compensatio. Nihilominus ad id judicialiter compelli non potest, quia adulterium ipsius non est publicum. C. B.

Vide *Debitum conjugale. Divortium. Restitutio cas. 153. 154. 155. 156. Reus cas. 7.*

ADVOCATUS.

1. Officium Advocati summo nunquam non in honore erat. Est autem Advocati defensionem suscipere pauperum aequae ac divitum. Non licet ipsi utrique parti consulere, nec defendere causam, quam scit aut opinatur injustam, nec recusare actionem pro iis, quorum pars adversa est potentior; si id recuset, Judex tenetur ex officio constituere Advocatum. Munus Advocati nihil detrahit titulo nobilitatis, etiamsi quis simul fungatur officio Advocati & Procuratoris, ubi munus utriusque est unitum. Advocatus non potest esse Judex in causa, quam prius defendit; licet Judex subalternus in casu appellationis possit agere Advocatum. Advocatus in Judicio postulare potest contra dominum feudi sui, quin excidat Feudo.

2. Advocati Generales in Gallia sunt ii, quibus in Parliamentis reliqui Advocati tenentur communicare causas interesse Regium aut publicum concernentes, circa quas sua in iudicio proferendi sensa jus habent, auditis prius Advocatis partium. Qui in tribunalibus inferioribus dicuntur Advocati Regis, sunt tantum substituti Advocatorum generalium.

CASUS I. Camillus ex mera ignorantia defendendam suscepit causam injustam.

R. Camillus non potest excusari coram Deo nisi in tantum, in quantum excusari potest ejus ignorantia. *Pontas.*

CASUS II. Tribonianus Advocatus suscepit defensionem causæ, quam ab initio credidit esse justam, in progressu autem litis deprehendit injustam.

R. In conscientia tenetur desistere a defensione causæ; quam si prosequatur, peccat, teneturque tam clienti ad restitutionem salarii accepti, quam parti adversæ ad reparandum damnum sua mala fide illatum. *Pontas. Vide infra cas. 7.*

CASUS III. Sallustius Advocatus, qui ab initio plene persuasus erat, causam a se susceptam esse justam, tandem agnoscit, valde probabiliter esse injustam, & quidem dum proxime ferenda est sententia.

R. Advocatus iste tenetur eo adducere clientem suum, ut sese modo justo accommodet parti adversæ; si nil possit efficere, tenetur deserere causam. Nullatenus autem salva conscientia ipsi licet prodere secretum parti adversæ, eamque suggestis consiliis adjuvare. *Pontas.*

CASUS IV. Scævola Advocatus agendo causam Joannis contra Jacobum, varia huic delicta obicit, ac facta ignominiosa imponit ad causam nihil facientia, ea sola intentione, ut ipsam Judicibus redderet odiosum.

R. Scævola non potest absque gravi peccato diffamare Jacobum, verbisque injuriosis ei insultare, nisi natura causæ indispensabiliter id exigat. Et hinc tenetur Jacobo ad legitimam restitutionem. Injurie aut diffamationes ad causam non pertinentes expresse interdiciuntur in Gallia Advocatis per constitutiones regias. *Pontas.*

NOTA. Si objecit crimina falsa, tenetur restituere per apertam revocationem. Si dubitat de eorum veritate, tenetur contestari incertitudinem, & obligationem standi pro innocentia. Si autem objecit crimina vera, quæ nosse non intererat boni publici, sufficit ea contegere accumulatione laudum in aliis rebus. *Amort Th. Mor. Tr. 5. §. 15. q. 4. 5. 6.*

CASUS V. Manbovius valde pauper, & ægre admodum vitam sustentans, innocens accusatur de crimine falsi; rogat hinc Elvidium Advocatum, ut ex charitate sui defensionem suscipiat, cum alium neminem repererit, qui id sibi obsequii præstaret. Verum id recusat Elvidius, nolens advocare gratis.

R. Tenetur Elvidius in conscientia & sub pœna peccati gratis defendere Manbovium; & si id absque justa causa recuset, Index tenetur eum ad hoc compellere. *Pontas.*

CASUS VI. Lentulus processu admodum intricato ac multo temporis discussione indigente involutus cum viro præpotente, promissit Tullio Advocato suo centum dupliones aureos, si causam evinceret, & quinquaginta, si ea caderet. Post sex menses Lentulus in transactionem cum parte adversa, & sic tota lis fuit composita. Advocatus prætendit centum dupliones promissos tum pro multo labore jam inpenso, tum quia non per ipsum steterat, quin causa felicem sortiretur exitum, quem sponderat. Ad quid tenetur Lentulus?

R. Si Lentulus in fraudem promissi, ne scilicet Advocato suo promissam summam teneatur solvere, transactionem inicit, in conscientia tenetur promisso stare. Si vero bona fide & intuitu utilitatis ex amicabili compositione sibi proventuræ eam inicit, ad nihil tenetur Advocato, nisi ad solvendum salarium pro ratione industriæ & laboris. *Pontas.*

CASUS VII. Pomponius causam Oliverii defendendam suscepit contra Theobaldum, quam utut justissimam perdidit sua vel ex malitia, vel ignorantia, vel imperitia. Ad quid obligandus?

R. Pomponius coram Deo tenetur Oliverio reparare damnum integrum ex culpa sua illatum. Idem, quod de Advocato dictum, sentiendum quoque de Procuratoribus, Tabulariis, Notariis, Medicis, Chirurgis, Pharmacopœis, aliisque artem quamcunque publice exercentibus, idque non solum ex culpa gravi, sed etiam ex culpa juridice levi; quia nemo eorum operam exquireret, nisi omnem poneret confidentiam in eorum peritia ac diligentia. *Vide supra Cas. II. Pontas.*

NOTA. Cum inter præfatos, eosque, quibus suam præstant operam, semper tacitus interveniat contractus, merito ad culpam levem quoque obligantur; licet quoad forum internum distingui fors possit inter culpam theologicè gravem, & theologicè levem. *Vide Amort Th. Mor. Tr. 5. §. 14. q. 2.*

CASUS VIII. Bartholus a duodecim jam annis laudabiliter exercet munus Advocati. In processione solemnī Corporis Christi prætendit præcedentiam præ senioribus Ecclesiæ Aedituis, item præ Notariis, Procuratoribus & Mercatoribus. Cum autem hi omnes tumultuariè sese opponerent, Bartholus ad evitandum scandalum cedere debuit; sed omnes in diem sequentem pro dirimenda controversia ad Judicem provocavit.

3. Non debet Bartholus ullius peccati incusari; quia eos tantum ideo in jus vocavit, ut controversia hæc autoritate Judicis componatur. Imo debuit sic agere; quia nemini privato licet honori aut privilegio renunciare toti corpori concessio, cujus ipse membrum est. Et aliunde hæc præcedentia Advocatis actu officio suo fungentibus præ Aedituis adjudicata jam est per edictum Parlamenti Parisiensis 15. Junii 1688. *Pontas.*

CASUS IX. Beneficiatus teneturne in conscientia se abdicare munere Advocati? num pariter & curam negotiorum temporalium cujusdam Domini debet deponere?

3. Tenetur ad utrumque; cum primum parum conveniat, alterum statui Clericali omnino repugnet. *De Lamet.*

Vide *Clericus Cas. 5. Irregularitas Cas. 61. Restitutio Cas. 51.*

AFFINITAS.

Vide *Impedimentum Affinitatis.*

ALBINATUS.

1. Vox *Albinatus* significat in regione externa, seu *alibi natum*, & idem est ac *Alienigena*. Calvinus in suo Lexico scribit *Albanatus*. In sensu Gallorum *Albinatus* (*droit d'aubaine*) est jus regium succedendi in bona exterorum regni jure non donatorum, seu eorum, qui non obtinuerunt patentes literas regias supremæ rationum Curie commentariis ingestas, quibus conferuntur extero eadem cum Gallis natis jura. Hoc jus Gallis commune est cum quibusdam aliis nationibus ac Statibus. Alienigenæ jure nationali gaudentes possunt inire contractus inter vivos, acquirere ac vendere bona mobilia & immobilia, facere & acceptare donationes inter vivos, etiam reciprocas cum jure proprietario & usufructuario, contractus inire matrimoniales, ut alii subditæ Regis. Qui jure nationali seu indigenatus non gaudent, sunt inhabiles ad Dignitates, officia & Beneficia; non datur
ipsis

ipsis actio in judicio, nisi præstita prius Judicis cautione de solvendo; non possunt donare, aut donationem acceptare mortis causa; nec gaudent Beneficio cessionis bonorum: soli que liberi eorum regnum incolentes possunt ipsis succedere.

2. Legatos Principum extraneorum non stringit jus *Albinatus*, nec mercatores extraneos domicilium non habentes, nec eos, qui frequentant nundinas Lugdunenses, quoad eorum merces & bona mobilia.

3. Jus succedendi in bona alienigenarum est inalienabile, ac coronæ annexum, pertinetque ad solum Regem.

4. Extraneus ex solo permisso Tribunaleis potest in custodiam trahi habitationis & alimentorum causa.

5. Languedocum & Vice-commitatus Turenna sunt exempta per privilegium Regis a jure *Albinatus*.

6. Datur adhuc alia species *Albinatus*, quæ concernit natos ex illegitimo toro, vi cujus successio in bona eorum, si non sint legitimi, spectat ad Regem, aut ad Dominos jurisdictionem altam habentes, in quorum Dominio nati sunt, domicilium fixerunt, & obierunt. *Pontas.*

CASUS. Lucas jure indigenatus non gaudens legavit in testamento Parocho loci, ubi fuit sepultus, duo millia librarum pro pauperibus, & ornatu Ecclesiæ. Potestne Parochus uti hac summa in finem præfatum?

3. Alienigena jure regni non donatus nec potest legare, ne quidem in causas pias, nec recipere donationes aut legata mortis causa. Vide *Depositum. Cas. 24.*

NOTA. Jus *Albinatus* per conventiones mutuas Regem Gallie inter & Principes ac Status externos hoc ultimo decennio ut plurimum fuit sublatum.

ALIENATIO.

CASUS. Capitulum Sylvanestense alienavit Principi 273. sylvæ jugera, opponente se Decano. Venditio hæc tam quoad substantiam, quam quoad formam nulla habebatur: ut enim bonorum Ecclesiæ alienatio sit valida, causam subesse legitimam, ac requisitas servari solemnitates necesse est; Canonici autem nec observarunt præscriptas solemnitates, nec habuerunt rationem legitimam alienandi, quæ ratio est utilitas Ecclesiæ. Utilitatem autem Ecclesiæ non promoveri exinde constat; quia ex pretio ex hac venditione redacto in fundum erogato non tantum Ecclesia consequitur commodum, ac si res non fuisset alienata. Verum Canonici consentientes in alienationem respiciebant

clebant gratiam, qua Princeps apud Regem pollebat, quæque ipsi opus erat ad augendos proventus suos.

Cum alienatio hæc tam quoad formam, quam quoad substantiam nulla sit, oppositio Decani solido nititur fundamento. Hinc plus cæteris illi allaborandum est pro reparatione erroris, quem commisit procurationem venditionis hujus sibi propositam subscribendo, id quod initium dedit huic alienationi. Il, qui consenserunt in alienationem, aut eam procurarunt, incurrerunt excommunicationem, & alias pœnas latis a Canonibus. Et si alienatio suum effectum sortita est, tenentur reparare damnum Ecclesiæ illatum. *Fromageau.*

ALTARE.

Altare dicitur mensa, super qua Sacerdos sacrosanctum Missæ Sacrificium offert. Mensa hæc nunc debet esse lapidea, benedicta, & consecrata sacro Chrismate, id quod ab Episcopo tantum fieri potest. In Altari quædam Reliquiæ Sanctorum reponendæ sunt, & locus, ubi reconduntur, vocatur sepulcrum. Datur duplex genus Altarium, stabili-um nempe & portatili-um. Execratur Altare, quando destruitur, aut notabiliter frangitur, aut quando Sepulcrum violatur.

CASUS. I. Lapis Altaris absque Reliquiis fuit consecratus. Aliqui defendunt, repositionem Reliquiarum absolute esse necessariam ad consecrationem Altaris, etiam portatilis. Alii econtra affirmant, reliquias non esse de essentia in consecratione Altaris, & hinc non esse necessarias. Alii denique volunt, etsi Reliquiæ non sint absolute necessariae ad consecrationem Altaris portatilis, eas tamen reponendas esse in Altari fixo, quando consecratur Ecclesia.

ꝛ. Nos censemus, Sacerdotem celebrare posse in Altari, quamvis lapis sit consecratus sine Reliquiis. *Pontas.*

CASUS II. Medericus recens Parochus in Vigilia Nativitatis Domini attigit in loco Parochiæ suæ, possessionem Ecclesiæ sibi conceditæ sumpturus, ibique divina facturus. In Ecclesia nil reperit præter lapidem Altaris, qui paucos ante dies emptus nondum ab Episcopo consecrari potuit. Ne tamen Parochianis suis occasio deesset in festo tam solemnem, & diebus subsequenti-ibus Missam audiendi, usus est eo lapide ad celebranda divina, putans, licite id fieri posse.

ꝛ. Graviter peccavit Medericus sic celebrando; convenientius enim fuisset, si Parochiani Missa caruissent non obstan-

obstante solemnitate dierum, cum præceptum Ecclesiæ respectu illorum omnino cessasset in hoc casu, & sub peccato obligati non fuissent audire sacrum, saltem in hac Ecclesia. *Pontas.*

CASUS III. Leporius emerat domum campestris, ubi erat capella domestica, in qua jam a longo admodum tempore Missa non fuit celebrata; eam autem sic iterum restituendam curavit, ut ibi posset celebrari. Parochus loci examinat lapidem Altaris in quodam angulo repositum, non autem reperit cruces insculptas, neque Reliquias, neque aliud consecrationis signum.

ꝛ. Parochus bona fide agens absque peccato potuit, & poterit deinceps celebrare super hoc lapide. Si autem iusta de consecratione dubitandi ratio habeatur, præsumendum est, lapidem non esse consecratum. *Pontas.*

CASUS IV. Geminius sacerdos die dominica ruri se detinens in domo quadam, in qua extabat Capella domestica altari non nisi ligneo instructa; in eo celebrat.

ꝛ. Non potuit absque gravi peccato ibi celebrare, cum Altare hoc haberi debuerit pro non consecrato. *Pontas.*

CASUS V. Ecclesia S. Deodati cum admodum angusta ac ruinosa esset, Dominus loci offert Parocho & incolis, se suis impensis extructurum novam, majorem & elegantior-rem: acceptatur promissio, & ocys destruitur vetus Ecclesia. Appropinquante festo Pentecostes Parochus erexit Altare in cæmeterio, in eoque celebravit ipse, Vicarius ejus, & Sacrista. Parochus quidam vicinus eapropter reprehendit ipsum, dicitque, eum incurrisse irregularitatem; eoquod Ecclesia per demolitionem polluta etiam cæmeterium pro polluto haberi debeat.

ꝛ. Parochus ex triplici capite est culpabilis. Primo quod sine consensu & autoritate Episcopi consenserit in demolitionem Ecclesiæ suæ, cui opponere sese debuisset, donec consensum Episcopi scriptum obtinuisset. Secundo, & adhuc magis culpabilis est ex eo, quod in loco particulari absque autoritate Episcopi altare erexerit, quod penes solum est Episcopum. Tertio denique culpabilis est, quod super eo altari celebraverit, quod nec ab ipso, nec a Vicario & Sacrista, si sciverunt, Altare hoc privata autoritate Parochi fuisse erectum, absque gravi peccato fieri potuit. Nihilominus nec Parochus, nec reliqui duo sacerdotes irregularitatem incurrerunt. *Pontas.*

CASUS VI. In Ecclesia S. Bertini ingens lapis Altaris fuit avulsus a basi, quæ lapidem sustentabat, ac ruinæ proxima erat. Altare dein fuit restauratum, in eoque Parochus bona fide celebravit, quin lapis de novo fuerit consecratus. Quæritur, num Altare hoc vere perdidit suam consecrationem. Et, supposito quod perdidit, an non possit censi consecratum per Sacrificium Missæ a Parocho in eo oblatum, sicut calix non consecratus consecratur per celebrationem.

R. Quoad primum quæsitum dantur duæ sententiæ. Communior, ac tam ratiōne quam autoritate potior est, quod Altare fixum in hoc casu perdat suam consecrationem; & hanc sequuntur plerique Authores. Quoad alterum, paritas non videtur esse accommoda; quia corpus Jesu Christi non tangit immediate lapidem Altaris, sicut sacer sanguis tangit calicem, qui propterea vere consecratur. Itaque Parochus non debuisset in Altari restaurato celebrare, antequam de novo ab Episcopo fuerit consecratum. *Pontas.*

CASUS VII. In capella S. Joannis per lapsum fortuitum lapidis Altaris fractum est ejusdem sepulcrum, ibique reconditæ reliquæ non amplius reperiuntur.

R. Capellanus non potest absque peccato deinceps celebrare in hoc lapide, utpote execrato per fractionem sepulcri. *Pontas.*

CASUS VIII. Patritius Parochus unicum tantum Altare habet in sua Ecclesia, idque mutilatum, cum in lapide Altaris una ex quatuor crucibus, quæ sunt in quatuor angulis, sit fracta.

R. Si fractio est levis, & Patritius facile uti possit hoc lapide ad celebrationem Missæ, absque peccato in eo celebrare poterit: si vero fractio est valde notabilis, ita ut lapide commode uti nequeat, graviter peccat in eo celebrando. Quod si dubium fuerit, an fractio sit notabilis, consulendus est Episcopus, ipsiusque iudicio aquietendum. *Pontas.*

ALTARE PRIVILEGIATUM.

CASUS I. In Ecclesia quadam rurali extat Altare privilegiatum singulis feriis sextis per annum: verum privilegium hoc ea conditione concessum est, ut quotidie ad minimum quinque Missæ in illa Ecclesia habeantur.

R. Pri-

R. Privilegium hoc subsistit, etsi quandoque pauciores Missæ ibi celebrentur; dummodo tamen id raro contingat. Sic respondit Sacra Congregatio sub Clemente XI. Idem sentit Gobat *T. 1. Tr. 3. n. 640.* & Diana *par. 9. tr. 2. resol. 9.*

NOTA. Anno 1720. 10. Jun. & 1725. 16. Jul. S. Congreg. Indulg. declaravit, privilegium Altaris non valere eo tempore, quo præscriptus Missarum numerus non impletur. Vide Amort de Indulg. inter Resp. ac Decr. S. Congr. item q. 25.

CASUS II. Sacerdos recipit die quodam, quo Ecclesia celebrat festum simplex, stipendium pro Missa cum obligatione eam legendi in Altari privilegiato: legit quidem missam ad dictum Altare, sed votivam de Beatissima Virgine. An satisfacit suæ obligationi?

R. Non satisfacit; quia intentio dantis stipendium est, ut gaudeat privilegio Altaris: non autem eo gaudet, si Sacerdos in festo simplici legit Missam de Beata; privilegium enim tale a summis Pontificibus concessum se tantum extendit ad Missas de Requiem, quando per Rubricas Ecclesiæ tales legere licet, uti licet iis diebus, quibus festum simplex celebratur.

NOTA. Hæc sententia sine Crisi exscripta ex Calista veteri antiquata fuit per decretum Alexandri VII. Clementis IX. & Innocentii XI. 4. Maji 1688. declarantium, privilegium Altaris obtineri, etsi Missa legatur de die festo.

AMBITIO.

CASUS. Petrus ex mediocri familia ortus amplas modis tamen licitis sibi opes concessit: unde ambitione ductus minus Consiliarii in Parlamento sibi procuravit. Peccavitne mortaliter?

R. Si id muneris non acquisivit mediis illicitis, illique exequendo idoneus sit, ac serio in animo habeat, partes suas rite adimplere, non censetur peccasse mortaliter; licet venialiter peccaverit ratione motivi, quo ductus fuerat, nempe ambitionis. Nihilominus peccaret mortaliter, si in honore muneri huic adjuncto suum unicum & quasi ultimum finem constitueret. *Fromageau.*

AMOR.

Vide CHARITAS.

E 2

AN-

ANGLICANUS PRESBYTER conversus.

CASUS. Anglicanæ Ecclesiæ Presbyter conjugatus amplexus est fidem Catholicam; & uxor ejus persistens in hæresi & in patria sua consentit, ut ipse possit recipere Presbyteratum aut statum Religiosum amplecti in Ecclesia Romana, offertque ipsi instrumentum authenticum sui consensus. Potestne hoc instrumento instructus admitti ad professionem in Ordine quopiam Religioso? aut num potest Episcopus, cum valor primæ ordinationis illius incertus sit, ipsum de novo ordinare Presbyterum?

R. Potest admitti ad professionem in Ordine Religioso, si non consummavit matrimonium; si consummavit, debet exprimi in instrumento, quod uxor velit persistere in hæresi, & remanere in Anglia & desuper a Judice declarari, quod locum habeat divortium. Quod attinet alterum, cum successio Episcoporum in Anglia jam penitus sit sublata, non est habendus nisi pro simplici laico: & consequenter, si aspīret ad sacerdotium in Ecclesia Catholica, debet de novo ordinari. *Fromageau.*

NOTA. Benedictus XIV. in L. de Synodo censet matrimonia hæreticorum esse valida & indissolubilia; quia sua primaria intentione contrahere volunt eo modo, quo Christus instituit. Cum tamen in variis locis satis aperte ipsa publicitate actorum declarent, se contrahere dissolubiter, intentio potius practica, quam speculativa, pro primaria habenda est. Hinc si Lutheranus ex ejusmodi locis ad Ecclesiam Catholicam transeat, & ejus uxor aliud matrimonium ineat, etiam ab ipso statum religiosum, sacerdotalem, vel conjugalem, cum priori conjugio impossibilem, eligi posse censo saltem ex eo capite, quia solenniter renunciatis juri cohabitationis, tribuit jus eligendi statum perpetuo impossibilem cum cohabitatione.

ANNATÆ DIOECESANÆ.

Per *Annatas Dioecesanæ*, Gallice *Deport*, intelliguntur redditus unius anni ex fructibus Parochiæ, qui a recens instituto Parocho pendendi sunt Episcopo & Archidiacono. Jus hoc odiosum est, & solum viget in quibusdam provinciis Galliæ, ubi usurpatur non ex alio titulo nisi male fundatæ consuetudinis. Origo ejusdem inde est, quod antiquitus Archidiaconi Parochiarum intra limites Archidiaconatus vacantium œconomi essent nati. Annatæ istæ tolerantur etiam pendente lite, ac in tota Normandia sunt in usu, non solum

in

in casu obitus, sed & simplicis ac puræ renuntiationis ac resignationis in favorem; nunquam tamen solvuntur bis eodem anno. In Normandia penduntur fructus totius anni, in aliis autem provinciis solum provenientes durante vacantia, aut usquedum Beneficio de novo Titulari provisum sit, aut sententia vindiciarum obtenta fuerit; percipiunturque non solum a Parochiis sæcularibus, sed & regularibus. In dicecesi Parisiensi Annatarum locus est a die Cinerum usque ad festum Inventionis S. Crucis, quando Parochus intra hoc temporis intervallum decedit; in Meldensi autem, quando feria quarta ante Pascha non extat Titularis. Consuetudo percipiendi Annatas varia est pro varietate dioecesum, in quibus vigent.

CASUS I. Cosmas Archidiaconus copiosos percipit fructus ex jure Annatarum, ita ut moveretur ipsi scrupulus. **1.** Quia sic ditescit ex Beneficiis, quin ullum præstet servitium. **2.** Quia id cedit in detrimentum salutis animarum, cum functiones parochiales ordinarie negligenter obeantur primo anno Annatis obnoxio. Suntne hæ rationes sufficientes ad ingerendum scrupulum?

R. Etsi jus Annatarum juxta *Dumoulin* sit jus abusivum & prorsus abolendum, tolerari tamen potest **1.** quia falsum est, Archidiaconos nullum præstare servitium Ecclesiis juri huic subjectis: provident enim ipsis de bonis ac idoneis sacerdotibus, earumque vigilem curam gerunt durante vacantia. **2.** Quia Archidiaconi sunt inspectores ac visitatores omnium sui districtus Ecclesiarum parochialium, id quod recognitione dignum est. **3.** Quia jus Annatarum per plura Edicta confirmatum est, ex quo præsumere non licet, illud ex natura sua esse vitiosum. Nihilominus sicut Archidiaconi non possunt exigere fructus annuos ex Parochiis, quibus tenues sunt redditus; ita conveniens foret, ut pie sentit *Saint-Beuve*, si, quod una manu jure capiunt, ne præjudicium creent successoribus suis, altera largiter denuo profundant in Parochos, petito desuper scripto, quo gratuitam condonationem profiteantur. Cosmas igitur tuta conscientia intra territorium Archidiaconatus dicto jure potest uti; & licet ipse non obeat, satis est, si functiones parochiales committat habili ac idoneo Sacerdoti, præferendo tamen semper ipsum Titularem, si necessariis dotibus instructus sit. *Pontas.*

CASUS II. Gilbertus provivus de Parochia in dicecesi Ebroicensi per resignationem fratris sui primo anno Annatis obnoxio nullam prorsus Parochiæ curam habuit; quia redditus hujus anni jure Annatarum pertinebant ad Episcopum &

E 3

Archi-

Archidiaconum, & illorum erat constituere, qui munia parochialia obiret. Gilbertus in contractum locationis cum Episcopo & Archidiacono, seque illis obstringit ad solvendas 400. libras. Conventione utrinque perfecta Gilbertus denuo locat alteri hos redditus pro summa 600. librarum: quibus receptis tradit 100. libras constituto interim Vicario, & 400. libras Episcopo & Archidiacono, reliquas 100. libras servat sibi.

R. Gilbertus inito contractu cum Episcopo & Archidiacono debuisset ipse partes Parochi sustinere, & non meri locatarii: interea tamen non tenetur residuum ex iterata locatione restituere; nam licet ex charitate debuisset personaliter munia parochialia obire, cum ex titulo suo fuerit pater spiritualis parochianorum suorum, ad id tamen non obligabatur ex iustitia, cum non percepisset fructus destinatos ad sustentationem Parochi: ad hæc dictas 100. libras solum lucratus est ut locatarius, ut eas quilibet alius lucrari potuisset. *Pontas.*

CASUS III. Petrus Parochus in dicecesi Sagiensi primo anno ab adita possessione Parochiæ obiit, nempe mense Februario 1710. Paulus ejusdem successor eodem mense 1711. moritur. Subjacetne Parochia per mortem Pauli novis Annatis?

R. Non subiacet. 1. Quia jus Annatarum odiosum, Parochiisque in detrimentum cedit, & eo ipso potius restringendum quam extendendum est. 2. Quia Annatæ dicecesanæ, seu jus episcopale & archidiaconale percipiendi redditus primi anni a quolibet recens instituto Parocho est ejusdem speciei cum Annatis papalibus: cum autem eodem anno moriuntur duo Titulares, secundus non solvit Annatas papales, sed solum taxatam Officialibus Dataræ mercedem pro expeditis Bullis provisionis suæ. Bouchelius addit, si ex feudo redditus annui præstandi sunt Domino feudali, eos tantum semel annuatim recipi posse, etsi plures mutationes currente eodem anno contingant. Sic hæc causa decisa est contra Abbatem S. Victoris per sententiam majoris Consilii 23. Decembris 1575. *Pontas.*

NOTA. 1. Ecclesia sita in districtu Annatis obnoxio, a præstatione earum exempta est, si eas alias nunquam præstitit. 2. Quando Episcopi aut Archidiaconi sunt in possessione juris Annatarum tantum in casu mortis, eo jure non gaudent in casu permutationis, & resignationis puræ ac simplicis aut in favorem. 3. Licet Parochiæ regulares Præmonstratensium per declarationem subjectæ fuerint Annatis solvendis in casu mortis Archidiaconis Suesfionensibus; eadem tamen hujus Ordinis Parochiæ in Normandia per sententiam

Sena-

Senatus de 25. Novembris 1708. ab præstatione Annatarum in quocunque casu exemptæ fuerunt; quia hæ Parochiæ & redditus earum spectant ad Abbatis, tanquam pars foundationis.

ANNUNCIATÆ.

CASUS. Annunciatæ Moniales Ordinis a decem Virtutibus B. Virginis dicti, per professionem suam subjectæ Religiosis S. Francisci degere volebant in domo quadam; id tamen Episcopus ipsis non permiserat, nisi sub ea conditione, ut Episcopali autoritate sese subderent, & regerentur a Sacerdotibus, quos ipse illis destinasset. Possuntne se subjicere authoritati Episcopi, procurando sibi desuper Breve Romanum?

R. Possunt se subiicere Episcopo, Romam tamen confluentes pro impetrando hac super re Brevis Apostolico. *Fromageau.*

ANTICHRISIS.

Nomine *Antichresis* intelligitur conventio, vi cujus creditor cum consensu debitoris fruitur hæreditate in hypotecam concessa loco census annui ex Summa mutuo data. Contractus iste, ait *Ferriere*, in Gallia est interdictus, exceptis iis locis, ubi viget jus scriptum; ibi enim juxta decretum Parlamenti Parisiensis de 22. Maji 1691. validus censetur, dummodo fructus hæreditatis non excedat censum Summæ capitalis. *Dumoulin* vero putat esse usurarium cum communi Theologorum, saltem nisi ex parte creditoris sit vere lucrum cessans &c. aut nisi creditor fiat proprietarius rei cum suo periculo, licet cum facultate reluendi ex parte debitoris; sic enim concurreret vera venditio.

ANTIDATUM.

Vide DATUM.

APPARITOR.

Sub hoc nomine intelligitur minister justitiæ, cujus est mandata judicum, citationes ad iudicium, executiones ac animadversiones judiciales, arrestationes bonorum ac incarcerationes delinquentium perficere; quæ tamen omnia cum moderatione ac mansuetudine fieri debent. Dum bona debitorum mobilia excutienda sunt, ea non comprehendantur, quæ

E 4

per

per leges ab executione immunia sunt. Si qua ei resistentia aut violentia inferatur in exercitio muneris sui, id in acta ingerat, & ad judicem deferat. Ultra salarium a consuetudine, legibus, aut in dubio a Judice taxatum nil exigat.

CASUS I. Agobardus Apparitor ad petitionem plurium judicialiter missus in locum tribus leucis distitum ad perficienda negotia plures personas privatas attingentia, potestne a qualibet singillatim persona recipere salarium, quod ipsi deberetur, si negotium unicam tantum personam attigisset?

R. Non potest absque manifesta injustitia; sic enim loco duorum v. g. florenorum, quod salarium ponamus per leges taxatum, reciperet octo aut decem florenos & ultra pro itinere ac opera unius diei: id quod in Gallia a Philippo IV. 1302. a Carolo V. 1355. & a Francisco I. 1535. severissimis legibus interdictum fuerat. *Pontas.*

NOTA. Hæc morum doctrina, cum generalibus nitatur principiis, non intra fines Galliae constringenda, sed latius extendenda; neque ad solos Apparitores aliosque justitiæ ministros, sed ad ipsos quoque judices, commissarios, aliosque deputatos dirigenda, qui, dum sub una itineris molestia, uno eodemque die plures actus judiciales exercent, v. g. plura inventaria conficientes, plura testamenta excipientes, aut plurium limites controversos inspicientes a qualibet parte integram dietæ, aut ab una parte plurium dietarum taxam exigunt, dum scilicet negotium in plures dies protrahi potuisse, & non nisi singulari sua industria uno die perfectum sibi fugunt.

CASUS II. Philocles mercator abiturus in Hispaniam committit Apparitori executionem judicialis sententiæ, vi cujus Joannes teneretur solvere 500. florenos. Id negligit Apparitor, & redeunte post annum Philocle Joannes propria culpa ad incitas redactus jam non est solvendo. Teneturne Apparitor resarcire hoc damnum?

R. Si Joannes erat solvendo abeunte Philocle, & Apparitor accepit salarium, aut executionem in se suscepit, nulla ratione excusari potest, teneturque ex propriis integram compensare damnum. Greg. IX. in Cap. Si culpa fin. Lib. 5. tit. 36. Aliunde jure Gallico (quid ni & Germanico) receptum est 1. Si Apparitor in se suscepit executionem, ea differenda non est; aut si perfici non possit, ille ocyus monendus, a quo ipsi id negotii commissum est; secus ipse teneretur ad compensationem lucri cessantis & damni emergentis. ut decisum in Parlamento Tornacensi 8. Oct. 1696. 2. Intra mensum tenetur tradere, quod sua executione consecutus fuerat, illi,

illi, cujus negotium gesserat. Aut, si recepto salario executionem per annum integrum neglexit, ipsemet condemnandus est ad solutionem, ut sæpius fuit judicatum in Parlamento Parisiensi. Id tamen non impedit, quominus in foro interno teneatur ad compensationem damni sua negligentia illati, etiamsi non per integrum annum commissum negotium exequi neglexisset. *Pontas.*

APPELLATIO.

1. Antiquus appellationum usus earum probat necessitatem. Est autem *Appellatio* gravamen de injustitia pro correctione delatum ad Judicem Superiorum. Facultas appellandi in pluribus casibus est de jure naturali.

2. Licet a sententia supremi Principis nunquam detur appellatio, nihilominus tamen potest peti reformatio sententiæ aliis modis, v. g. per revisionem rei judicatæ, per abrogationem sententiæ, per oppositionem exceptionis, aut quando ipsæ sententiæ sibi invicem adversantur.

3. Appellationes in Gallia vario ordine fiunt, pro diversis nempe gradibus jurisdictionis. Sic appellatur ab infimis & inferioribus Judicibus ad Judicem Regium, a superioribus ad Prætores, & Seneschallos Provinciarum, ad curias Præfidentiales, & ad Parlamenta. Quod attinet Judices alios, qui Domino cuidam territoriali jurisdictionem, & jus recipiendi appellationes habenti subordinati sunt, ad hujus tribunal deferenda est appellatio.

4. Simplex appellatio in civilibus in tempore facta ordinarie suspendit executionem sententiæ, nisi versetur circa materiam provisionalem. Dicitur *Ordinarie*; quia in pluribus casibus sententiæ executioni mandantur *non obstante oppositione aut appellatione quacumque*; & sola inhibitiō Judicis superioris earum suspendit effectum.

5. In criminalibus per appellationem suspenditur sententia, & si reus de crimine moriatur *constante appellatione*, non incurrit infamiam juris, omnesque actus illius ab interposita appellatione usque ad obitum, si ante obitum non fuit confirmata sententia condemnatoria, sunt validi, exceptis solum actibus malis, ratione quorum instituitur processus. Hi actus autem sunt nulli, si ante obitum rei fuit confirmata sententia condemnationis; & si tempore hoc intermedio illi obtingeret aliqua hæreditas, ea pertineret ad Fiscum.